



19.

DE  
H E R N I I S  
ET IN SPECIE  
DE  
Σ A P K O K H Λ H  
QVAEDAM DISSERIT  
S I M V L Q V E  
COLLEGIVM DISPVTATORIVM  
P V B L I C V M  
I N T I M A T  
IOANNES CHRISTOPHORVS POHLIUS,  
PHILOS. ET MEDIC. DOCTOR, COLLEGII B. M. V. COLLEGIATVS,  
ET ACAD IMPER. N. C. SODALIS.  

---

  
L I P S I A E  
LITTERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMI.

DE  
HERNII  
ET IN SPECIE  
DE  
ЗАПОКНАН

COLLEGIA M SPATATORIUM  
PABLICUM  
INTIMAT

JOANNES CHRISTOPHORAS POTHUS,  
PHYSICI ET MEDICO DOCTOR SCHIERI ET WA CONCEPTEA  
ET ACAD IMPERI N C. 1644

LIPSIÆ  
LITTERÆ IO. CHRISTIANI VINCENZI



Chirurgia, Medicinae pars antiquissima<sup>1)</sup>), quae manibus medetur, egregium in praxi clinica sibi vindicat usum, et non solummodo tanquam utilissima, sed maxime etiam necessaria, ab artis peritissimis explicatur atque ventilatur. Communiter vero illa a celeberrimiis Medicis in Chirurgiam medicam et manualem diuiditur. Medica est, quae medicamenta, tam interna, quam externa, eligit, et ratione circumstantiarum rite adhibet. Manualis vel manibus nudis vel instrumentis externe auxilium praefstat, mediante τύθεσι, διαίρεσι, ἐξαίρεσι, αἴφαίρεσι, πρέσθεσι, Διοχθώσι; ad quam posteriore, manualem scilicet in primis referri potest omnium herniarum tam verarum quam spuriarum medela, ita ut in curandis herniis veris partes quaedam abdominis loco suo motae, iterum in pristinum suum atque genuinum statum redigantur, in herniis autem spuriis et impropriis partes superfluae auferantur. Hernia enim vera annumeratur tumoribus,

A 2 vbi

a) Ex veterum scriptis patet, quod Chiron Centaurus, Saturni et Philyrae filius, Chirurgiae inventor esse debeat.

## IV

vbi relaxatum vel nimium extensum peritonaeum ansam praebet, vt intestina vel epiploon aliud occupet spatium, et deinde protuberantiam praeternaturalē formet. Differunt vero herniae ratione loci, quem occupant, ortusque, quorum respectu in tres classēs plerumque diuiduntur. Primā speciem constituit hernia vmbilicalis, seu ἔξομφαλος, quae oritur ex relaxato annulo tunicae exterioris, peritonaei ligamenta, ex vasis vmbilicalibus in foetu peruiis ortum ducentia, cingentis. Si autem peritonaeum infra hunc locum variis in partibus abdominis laxetur, musculi externi laesi vel eorum aponeuroses in interstitiis nimium in modum expansae, atque integumenta pressioni intestinorum paulatim cedant; tunc sifunt herniam in genere sic dictam ventralem. Secunda species inguinalis, seu βεβωνική existit, quae formatur, dum musculi quacunque ex causa fortiter contracti, aut intestina, aut epiploon ad inguen vsque elapsa, protrudunt. Tertia species emergit, si intestina vehementiori modo maiorique vi depressa, in sexu posteriori in scrotum, in sequiori in pudendi labra deuoluuntur, sicque herniam perfectam, in viris ὀστηοκήλην dictam efficiunt. Locus, ex quo prolapsus ortum dicit, idem est, vti in Bubo nocele. Nimirum processus peritonaei nimium in modum extenditur, et pressio perpetua annulum tam amplum reddit, vt intestina vehementiori motu in scrotum abeant. Quemadmodum autem ex hoc vario ortu et loco variae herniarum denominationes prouenerunt; Ita pari etiam modo diuersitas materiae, ex qua formantur herniae, iisdem varia imposuit nomina. E.g. Si in hernia vmbilicali solummodo intestina spatium implent, partemque ultra modum extendunt, insigniuntur nomine Enteromphali. Interdum autem fieri solet, vt epiploon sifat herniam, hincque nomen Epiplomphali ortum est. Quando e contrario intestina et epiploon sibi inuicem iuncta

iuncta existunt, nominantur Entero-Epiplomphalus. Praeterea si contingat, ut in hernia inguinali et scrotali intestina nuda inueniant locum, describitur nomine Enteroceles; si tantummodo omentum, Epiploceles. Non raro etiam circa hernias hoc phaenomenon deprehenditur, ut in Enterocele colluvies faecum accumuletur, ibique moram necat, et quidem in illis locis, in quibus herniae fuerunt ortae; illudque maxime obseruatur in hernia inguinali et in scrotali, quarum repositio si ob causam superius modo allegata difficultima existit, tunc salutantur illae herniae infarctae vel incarceratae.<sup>b)</sup> Non ignota est distinctio in hernias completas et incompletas. Completae sunt illae, quae in sexu potiori usque ad scrotum, in sexu sequiori usque ad pudoris labia vergunt: Incompletae, quae in utroque sexu non ultra inguina descendunt. Dividuntur etiam herniae in simplices et compositas. Interdum enim accedit, ut modo in uno et altero loco simul herniae appareant, aut intestina et epiploon simul delabantur. Porro ab experientia compertum est, herniam propriam seu veram cum impropria, id est, cum hydro-pneumatocele, hydro-cirfocele, coniungi posse. Ad dignoscendas autem herniarum species ocularis requiritur inspectio, et hernia praecipue umbilicalis seu Επιπλοφαλος ex tumore neque nimium molli, neque nimium duro cognoscitur; partibus autem compressis, sonus percipitur, et quando aeger resupinatus iacet, in pristinum rediguntur fistula intestina, herniaque mox desidit, nec magnitudine aequat reliquas herniarum species. Επιπλοφαλος praebet tumorem

A 3 inollem

b) vid. Celeb. HEISTERVS pag. 587. in editione M. DCC. XIX. Eiusque dissertatio de hernia incarcerated suppurata, saepe non lethali, Helmstadii 1713. edita. Et Domini Collatores Lusatici in collatione ad eruditissimum historiamque pertinente, parte XXXIII.

## VI

mollem, qui digitis absque murmure cedens, compressione facta, mox disparet. Bubonocele ex tumore, in inguine haerente, cognoscitur, et sumtis cibis magis accrescit, paulo supinato corpore vel sponte euanescit, vel leuiori modo pressus, disparere solet. Flatus interdum ibi immorantur, et tunc ex improviso augmentum capit, simulque ex murmure illius lateris causam intus latentem dignoscimus. Multo difficilius bunocele, quae iam inflammatione corripitur, a bubone veneo distinguitur, id quod ex obseruatione patet, quam dedit publicique iuris fecit PETRVS de MARCHETIS<sup>c)</sup> hisce verbis: Villicus quidam, bunocele laborans, Barbitonforem accessit, qui venereum bubenem cum existimaret, eius proinde sectionem suadebat: Quanquam aeger cum nulla alia muliere vxore propria excepta, rem se habuisse, sancte affirmaret, honesta equidem, ac pudica; Cum vero tonsor opinionem suam tueretur mordicus, atque omnino sectione opus esse contenderet, eam tandem miser villicus admisit, ex qua cum faeces erumperent, statim in lipothymiam prolapsus est, tonlore obstupente. Ego vero cum casu illac transirem, vocatus, statim dígito compuli intestinum in locum proprium, applicato ouchi albumine cum sanguine Draconis, atque linteolo quadruplicato compressione facta, arctius non nihil constrinxí quatuor dies, a quibus cerato demum ad herniam ab Aquapendente usus spatio decem dierum, sectae partes coaluerunt. Tandem meo consilio totum vitae tempus gestato cingulo multos annos incolumis vixit.<sup>d)</sup> Celeberrimus HEISTERVS<sup>d)</sup> ex Hieron. Fabric. ab Aquapendente et Starpart van der WIEL varia recenset exempla de incongrue curatis bunoocelis; differunt autem

c) Obseruationibus Medic. obseru. LV. pag. 145.

d) in iam laudata dissertatione de hernia incarcerateda.

tem inuicem quam maxime, ortu, progressu et causa, iam non  
minatae herniae. Praecepit est inflammatio bubonis, et gra-  
uioribus stipatur symptomatibus; bubonocele vero ut plurimum  
mitioribus lentaque praeferuntur corripitur inflammatione.  
Peculiaria praeterea se produnt signa ex inclusu in tumore in-  
testino, atroces plerumque dolores, frequens vomendi cona-  
tus, et conuulsiones hunc morbum comitantes, quibus rebus  
sicstantibus facile mors sequitur. Herniarum autem verarum  
in scroto situm suum occupantium, signa ex tactu depromun-  
tur, siquidem intestina hoc in loco maximam efficiunt expan-  
sionem, et tumor durus et elasticus se sistit, in Enterico-epiplo-  
cele, quando iterum in locum genuinum redacta fuerunt in-  
testina, et epiploon saltem in scroto remanet, tumor mollis  
tactui non cedens relinquitur, qui facta tandem et huius re-  
positione plane euanescit. Occasionem quidem herniarum  
suppeditare possunt causae variae; primariam tamen deriuare  
solebant veteres a rupto peritonaeo, sententiam maxime tales  
stabilientes, quasi peritonaeum in utraque membrana rupturam  
passum esset, quae vero opinio militat contra experientiam, quin  
potius nimia peritonaei expansio plerumque magis in culpa  
esse deprehenditur. At vero huic nimiae dilatationi ansam  
praebere possunt causae externae et internae. Oriuntur enim  
ut plurimum herniae, dum Musculi abdominis fortiter contra-  
hundunt, et cohibito spiritu comprimuntur, id quod maxime  
fieri solet saltatione, lapsu ex alto, contusione, tussi ferina, praet-  
ter modum clamando, tibias inflando, magnum pondus fortio-  
ri corporis nixu attollendo, et qua sexum sequiorem partu la-  
borioso; in recens natis, quorum umbilico ligatura laxior fuit  
iniecta, vagitu vehementiori, tussi ob materiam tenacem nimia,  
quae omnia efficiunt, ut intestina atque epiploon in perito-  
naeum nimis relaxatum delapsa materiam praebant herniis.

Ad

## VIII

Ad prognosin harum herniarum quod attinet, res valde anceps est, qualem inde euentum nobis promittere debeamus. Si quidem intestina ita delapsa in iunioribus subiectis facilius, in debilioribus difficulter pristino suo loco et statui restituuntur. Herniae vmbilicales infantibus quidem familiariores sunt, quam adultis, citius tamen et meliori modo curari possunt, nisi inflammations accedant; in maiorem autem increscunt molem in adultis, quam in iuuenibus. Praeterea foeminis, quae vetero gerunt, herniae periculosiores sunt. Idem iudicium esto, si in sexu potiori colica, in sequiori passio hysterica superueniat. Inflammationes, conatus vomendi, reiectiones faecum aluinorum per os, conuulsiones, sudores frigidi mortem instantem praenunciant. In cura ante omnia repositio intestinalium tentanda erit, quae corpore aegri resupinato mediante leniori et successiva intrusione optime peragitur. Deinde opera danda, ut intestina reposita in situ suo, mediante fascia, circulo frequenti abdomen cingente, retineantur, qua sola de ligatione herniae in infantibus plerumque curantur. Elasticitas demum atque tonus fibrarum in nimia expansione peritonaei de nouo est conciliandus. Si vero omnia haec frustra adhibentur, tandem ad sectionem chirurgicam confugiendum erit, et quidem priusquam vehemens inflammatio accedat, quae tamen operatio non omni periculo vacat, testibus Celer berrimis Chirurgis.<sup>e)</sup> Postquam igitur generaliora hactenus de herniis veris exposuimus; nunc ordo tangit hernias improprias seu dictas spurias a flatibus, sero extrausat, excrecentiis, retardato sanguine, atque semine stagnante, ortum suum ducentes, perquirere. Harum in numerum referri possunt omnes

<sup>e)</sup> Videatur celeberr. HEIST. in Chirurgia pag. 592. ubi septentiam suam de sectione in herniis scroti explicat.

tumores, qui hernias tantummodo mentiuntur, et qui propteram tam ratione loci, quem occupant, quam respectu materiae, quam in se continent, varias acceperunt denominations. Sic enim tumor in gutture bronchocele, in ventriculo Gastrocele, in variis partibus e materia seu simili enatus steatocele, aut ex faburra tophacea coaceruatus, Porocele, in vmbilico ex sero stagnante hydrocephalus, ex flatu pneumatomphalus, e sanguine infarcto varicomphalus, e carne luxuriante farcomphalus, in scroto et testiculis tales tumores ex iisdem causis hydrocele, pneumatocele, variocelle seu Cirsocelle et Sarcocelle vocari solent. De quibus omnibus ex instituto egit CASPAR HOFFMANNVS.<sup>f)</sup> Temporis et instituti nostri ratio non permittit, ut omnes et singulas herniarum species prolixè explicemus, sed potius de Sarcocelle tantummodo quaedam adhuc monere nobis est animus. Variam apud Auctores inuenimus huius tumoris descriptionem pariter atque denominationem. GRAECI vocant σαρκοκέλην, CELSV<sup>g)</sup> que raro, inquit, sed aliquando caro quoque inter tunicas (testiculi) increscit. GALENV<sup>h)</sup> testiculos vocat induratos et in aliis locis<sup>i)</sup> eandem cum scirrhis comparat. Moderni sarcocelen interpretantur, quoties carnosum quiddam in scroto testibus adnascit. Iuxta Acta Hassniensia<sup>k)</sup> „Sarcocelle non tam „adnascit testibus, quam innascitur, hoc est, totum testem, „seiusque vasa omnia materiae nouae accessu ita infarcit, ut „aliquando etiam vigecuplo se ipso grauior ampliorque euadat. „ Secundum nostrum conceptum propriamque observationem Sarcocelle est tumor testiculorum fibrosus et carneus, plus minus durus et dolorosus successiue ortus,

## B

qui

f) in institutionibus medicis pag. 49.

g) Libr. VII. cap. XVII.

h) Libr. de tumor. praet. nat.

i) L. XIV. meth. med.

obseru. 97. pag. 188.

k) Vol. I.

## X

qui aut totam testiculi substantiam auger, inque molem carni similem conuertit, aut saltē parti huius adnatus excrescientiam veluti carnosam format. Hic tumor, nisi mature discutitur, in scirrum aut exulcerationem carnosam tandem abit. Ab experientia satis compertum est, sarcocelen interdum complicari cum hydrocele, tuncque nomen fortitur hydrosarcocelis. Quae vero iterum duplicitis constitutionis esse solet. Sero enim extravasato, et ex tunicis testiculos ambientibus in scrotum emisso, paulo post durior in conspectum prodit testiculus, remanente autem sero in testiculi substantia inclusō, tactui se non manifestat. Interdum etiam vtriusque huius mali indoles ita est comparata, ut perscrutari aut distinguere non satis valeatius. Eiusmodi exemplum recenset FABRICIVS HILDANVS,<sup>1)</sup> vbi cum aliis in consilium vocatus, non solum carnem circa dextrum testiculum concretum, verum etiam scrotum serosis humoribus ita extensum reperit, ut magnitudinem infantis fere adaequaret. De caetero obseruationes loquuntur, sexum potiorem sarcocelle simplici saepius vexari, quam malo complicato, cui etiam aliquando regiones seu climata ansam praebere videntur. Inter alia verba lectu sunt digna, quae celeb.  
HOFFMANNVS<sup>2)</sup> eam in rem profert: „Gallos, inquit, „infestant febres atque lumbrici, hydrocole atque sarcocelle, quos tumores ab immodico nucum castanearumque vsu „prouenire arbitratur. Ob humorum crassorum ad testiculos decurrentium, atque partis affectae debilitatem ortam esse sarcocelen, GVIDO et alii existimant. Cui sententiae PERTRVS FRANCVS,<sup>3)</sup> FELIX PLATERVS,<sup>4)</sup> simul subscribere videntur. Ex contusione vasorum spermaticorum in

scroto

1) cent. 4. obser. 64. 2) in volumine dissertationum Physico-medicarum, Lugduni Batav. 1713. in 8. editarum. 3) Libr. de herniis cap. 23. 4) Tract. 3. cap. de causis protuberantiae.

scroto, item ex succo e vasis illis luxuriante hernias aliquando oriri, sententia est **VESALII.**<sup>p)</sup> Praeterea nec aliae quidem caufae contemnendae, quarum hinc et inde in observationibus suis mentionem faciunt Auctores practici. Sic **HILDANVS**<sup>\*)</sup> recenset sarcocelen ex regressu seminis in actu venereo ortam, et cum variis symptomatibus inde sequutis stipatam; nempe: „Generofus quidam iuuenis, cum amasiam suam amplectetur, atque cum ipsa in actu vene, reo effet, et iam semen eiaculare vellet, a quodam cubiculum ingrediente in actu ita deturbatus fuit, ut semen retrocesserit, retentumque fuerit; vnde ingens ipsi dolor in inguine enatus est, et testiculi intumuerunt. Paulo post dolor in sinistro inguine sua sponte remisit, circa dextrum vero tumor remansit, qui successu temporis in ingentem herniam carnosam excreuit.“ Neque silentio praetereundae sunt contusiones testiculis maximam vim adferentes, cuiusmodi a causis ortam Sarcocelen variis notatu non indignis accidentibus stipatum legimus in Ephemeridibus N.C.<sup>r)</sup> exemplo Viri honesti, qui iaectu crepidae, sinistrum inguen et scrotum grauiter non sine insigni dolore laesus sinistrum testiculum sensim ac sine sensu incrementum aliquod notabile coepisse, ac multo maiorem suo a dextris vicino factum, animaduerit. Similiter beatus **ETT MULLERVS**<sup>\*)</sup> Sarcocelen cuiusdam subiecti descripsit, in quo scrotum secundum omnes dimensiones valde magnum, et ad genua vsque propendit. Testiculi ad latera in superiori parte absconditi fuerunt, qui contracti aut compressi doloris sensum excitarunt. Singulare et miratu dignum Sarcoceles et totius membra genitalia

B 2

nitalis

p) Libr. V. cap. 23. \*) Cent. IV. obseru. 64.

q) centur. I. et II. obseru. CXXVI. r) in programmate 1723, in Dni. Steinfeldi promotione edito.

## XII

nitalis tumoris vasti rarissimique in cadavere Mense Iunio MDCCXXV. secto exemplum e Theatro Anatomico Lipsiensi communicauit Illustris WALTHERVS,<sup>3)</sup> Praeceptor meus omni honoris cultu prosequendus : „At magnitudinem saltem declarare, et quae nobis Anatomen exercentibus de praeputio venerunt, adiicere licebit, ut adeo supra descripsam, pondusque librarum quadraginta, omnium tumor accederet, id tunicae, quae dertos audit, deberi profitemur, quae cellulosa, laxa, flaccidaque est, et quasi luxuriat, nec solum in scroto subsistit, sedem vtroque scroti latere veluti duplicita assurgit, septumque futura externa indicat, constituit, sicut RAWIVS ostendit. Et in sequentibus. „ Tota distans ab inguine ad praeputii extremitatem vnius vlnae est, cum octaua parte, cum sinistro autem testiculo saccum, fundo eius appensum, membranaceum et pellucentem extraximus, quem tunica vaginalis efficerat, hic duas libras seri parum tincti intra sinum suum receperat, capsae adhaerebat, sicut in dextro testiculo formatae, quae hinc inde nonnihil exeso humorem priori similem, loculosque perpaucos, tophum denique minorem scutiformem et duobus foraminibus instructum. Pariter rarissimum Sarcoceles varia post suppuratione eructantis officula casum reperimus descriptum in Ephemeridibus N. C.<sup>4)</sup> Ad sedem huius mali quod spectat, in varias abeunt sententias variis Auctores. BAVHINVS in Theatro suo Anatomico opinatur testiculum dextrum non tam facile affici posse, quam sinistrum. „ Cum dexter forsitan testiculus ob maiorem per vasa maiora eo delatam sanguinis copiam sit calidior sinistro, et per consequens robustior. E contrario FABRITIVS HILDANVS<sup>5)</sup> in primis defendit,

<sup>3)</sup> vid. Acta Erud. Lips. an. 1725. pag. 492. 495. seqq. <sup>4)</sup> Anno III. decur. annorum secunda obseru. XIX. <sup>5)</sup> cent. 4. obseru. 64.

fendit, sarcocelen firmissimam occupare sedem in parte dextra. „In tota praxi mea vnicum solummodo, ex sinistra parte laborantem hernia carnosa (quaeque tandem in cancrum exulceratum atque insanabilem degenerauit) me vidisse memini.“ Mihi ipsis contigit eiusmodi casus in Milite quodam munere Armiductoris in Arce Pleissenburg fungente, et sarcocelle testiculi sinistri Anno MDCCXXXVII. laborante, qui tunc annum quadragesimum aetatis suae septimum agens, animi sui recreandi gratia iter equo vehendo fuscipiebat, in redditu vero, cum bene ebrios equum ascendisset, pressione testiculum sinistrum ita laesit, ut maximus humorum affluxus per breve temporis spatium inde sequeretur, tumorque in dies augeretur, et scrotum progressu temporis tandem in eam magnitudinem extenderetur, ut amplitudine enterocelen mentiretur. Cum vero nihilo secius paulo post iterum equo iuisset, sicque miser testiculum iamiam affectum ephippio nimium impegisset, scrotum adhuc in maiorem augebatur magnitudinem. Hinc circumforaneus quidam accersitus omnem quidem adhibuit operam, ut mentiens enterocele reponeretur; ubi tamen perpetua manuum compressione dolores maximum in modum aucti fuere. Qua rerum facie existente ego cum Chirurgo ordinario in auxilium vocatus, in partibus scroti externis inflammationis vehementioris signa deprehendi. Qua propter cataplasma ex emollientibus atque discutientibus a Chirurgo applicabantur; interne medicamenta praescribebantur, quae imminenti inflammationi obicem ponerent. Quibus tamen non obstantibus, omnia in peiora ruebant, et vndeclimo post secundam contusionem die omnes cessabant dolores, gangraena atque sphacelus imminebant, maculae imminentis gangraenae usque ad regionem umbilicalem se manifestabant,

## XIV

vitamque paulo post cum morte mutabat aegrotans. Proximo die cadaueris instituebatur sectio, scrotum in peripheria caput infantis recens nati aequabat, apertis illius integumentis tota testiculi substantia in materiam purulentam abiisse conspiciebatur; cuius etiam materiae parum tintae in cuitate scroti sinistra ultra septem repertae atque evacuatae sunt vinciae, tunicae substantiam ambientes, cremaster nempe maxima ex parte adhuc integer in conspectum veniebat, tunica autem vaginalis et albuginea dilaceratae atque emaciatae, vaseaque spermatica et corpus pampiniforme sphaelata apparebant, testiculus dexter adhuc inuoluebatur suis tunicis, signa gangraenae imminebant, et huius indicia adhuc in abdome circa annulum processus peritonaei, inque variis intestinorum partibus animaduertebantur; reliqua autem viscera optime se habebant. Sed sufficient haec tam de origine, quam de constitutione sarcocoeles. Iam vero paucissimis adhuc verba sunt facienda de ratione mali ipsius curandi. Vbi vero varii occurrunt Auctores sententiam fontes, *οργωνίην* discuti posse medicamentis internis resolutibus, externe autem discutientibus. Credit MATHIAS LVS in Dioscoridem, credit SCULPTVS in Armam. Chirurg. se se sarcocelen puluere Ononis percurasse, attamen veritati simillimum mihi videtur, hydrocelen forsan duriori cortice circumdatam, atque adeo sarcocelen mentinem hocce medicamento curatam fuisse. Alii fatus ex aceto Lauendulae, Rutae theriacae commendant. Si haec omnia non conducunt, et sarcocele in dies magis incrementum capit, dolores non remittunt, et cancer iam imminet, resestio chirurgica testiculi male affecti est instituenda. Quam operationem ex instituto descripsit Celeberr. HEISTERVS<sup>x)</sup> simul.

x) in Chirurgia pag. mihi 594, et 598.

simulque varias docet enchirises, ut euentus sequatur ex optatus. De felici huius operationis euentu, sectionem nimurum sarcocoles in vico Aurigarum a Lithotomo Laurentio Nicolai feliciter et dextre fuisse administratam, in Act. Haffn.<sup>1)</sup> sequentia legimus obseruata: „Nempe aperta cute „inguinis dextri, testiculus dexter, qui ad capitis puerilis ma- „gnitudinem excreuerat, separato ~~υπανδάρων~~ scroto, extractus, „et resectis vasis spermaticis prorsus exemptus fuit, magno „militis alias cordatissimi eiulatu. Ligatis vasis, consitum „scrotum, et caetera, vt vulnus decet, curata.,, Tormentorum oblitus ad militares rediit functiones. Varia adhuc recensentur exempla in Actis Haffn.<sup>2)</sup> de optato huius Chirurgiae manualis successu. „Sic Mercatori Samio ablatus fuit „ferro Chirurgi ramicosus testis, ponderans semiuncias „XXXIV. durus ille quidem toto corpore et massae carneae „neruosis hinc inde gyris distinctae similis, sed neque ad lat- „tus, neque in gremio suo vllum alium testiculum naturalem „complexus.,, Atque haec sunt, quae hac vice in medium proferre mecum constitui. Occasionem vero ad talia differendum mihi suppeditarunt Clarissimi, Nobilissimi atque Doctissimi Domini Commititones, quibus Animus est per hocce temporis spatium aestuum Theses atque Themata ad Anatomiam, Physiologiam aliasque Medicinae partes spe- ciantia, proprio Marte elaborata, Indultu permissoque Magnifici Medicorum ordinis meoque praesidio, in Auditorio Medico diebus Saturni hora X. usque ad XII. publice ventilandi. In cathedram ordine ascendent sequenti:

M. IOAN-

y) obseru. 28. pag. 59

z) Vol. I. obseru. 97. pag. 188.

XVI

M. IOANNES THEOPHILVS WAL-  
THER, Lips.

IOANNES GOTTLÖB MEYER,  
Lips.

THEODOSIVS GODOFREDVS FVCH-  
SIVS, Suidn. Siles.

CHRISTIANVS FERDINANDVS ZWEI-  
GEL, Vratisl.

CAROLVS THEOPHILVS PAVLI;  
Vratisl.

THEODORVS SIGISMUNDVS HESSE,  
Cotbus.

Vt autem hunc Actum nostrum disputatorium Patroni, Fa-  
tores Aestumatisimi atque Commititones suaissimi praef-  
tentia sua nobis maxime honorifica condecorare, alacriores  
que in perscrutanda veritate Dominos Disputantes reddere  
velint, omni, qua par est, humanitate atque obseruantia eni-  
xrogamus. P. P. Dominica Rogate. A. O. R.  
MDCCXXXIX.



01 A 6602


ULB Halle  
002 932 512

3





B.I.G.



DE  
HERNIIS  
ET IN SPECIE  
DE  
Σ A P K O K H Λ H  
QVAEDAM DISSERIT  
SIMVLQVE  
COLLEGIVM DISPVTATORIVM  
P V B L I C V M  
INTIMAT  
IOANNES CHRISTOPHORVS POHLIUS,  
PHILOS. ET MEDIC. DOCTOR, COLLEGII B. M. V. COLLEGIATVS,  
ET ACAD IMPER. N. C. SODALIS.

---

LIPSIAE  
LITTERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMI.